


Rozprawy
do panowania Jana Kazimierza
króla polskiego
odnoszące się

Od Bartynowskiego za 5 złk.

Carolus Gustavus 17 *r)* S. R. M. Sueciae binae literae, priores ad S. R. M. Christ. et posteriores ad Gen. Ordines foed. Belgii, contra causas expeditionis in Zelandiam contra reg. Daniae. b. m. i r. (k. n. l. 4)

18 *s)* Resurrectio Poloniae auxilio aquilae. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

Paulli Jacob Henrik 19 *t)* Epistola amici ad amicum de causis renascentium dissidiorum Sueco-Danicorum. Hamburgi 1658. (str. 10)

20 *u)* Brevis discussio querelarum, quae per regis christ. legatos et internuntios contra augustiss. Imp. Ferdinandum III. propositae sunt. b. m. 1657. (str. 20)

Frischmann Johann 21 *v)* Labores electorii sive solennia electionis et consecrationis. b. m. 1658. (str. 30)

22 *y)* S. R. M. Sueciae commissariorum responsum ad literas legatorum electoralium Brandeburgicorum. b. m. 1659. (k. n. l. 24)

Frischmann Johann 23. *z)* Censura censurae in collegium electorale amicae. b. m. 1658. (str. 44)

24 *aa)* Biorenklou Math., Memoriale ad eminentiss. sereniss. S. R. I. electores. b. m. 1658. (str. 32)

25 *bb)* Peyrer Isa. Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes propter quas ejuraverit sectam Calvini et librum de Praeadamitis quem ediderat. Francofurti 1658. (str. 36)

26 *cc)* Retz de Joan. Franc. Paul. de Gondi Omnibus episcopis, presbyteris et universis filiis ecclesiae. b. m. 1660. (str. 28)

Frischmann Johann 27 *dd)* Animorum in Europa et vicina Asia motus de Suecici belli motu in Polonia. Upsaliae 1656. (str. 75)

28 *ee)* Gabriis Luc. de. Injustitia armorum Suecicorum in Polonos responsione apologetica ad epist. Cyriaci Thrasymachi ad Andr. Nicanorem data, nec non ad brevem et preliminarem enumerationem causarum, ob quas Carolus Gustavus R. Suec. coactus est Reg. Pol. bello adoriri. b. m. 1657. (str. 60)

29. *ff)* Elogium funebre Ser. Caroli Gustavi R. Suec. Gothenburgi in Suecia Februario mense a. 1660 extincti. b. m. i r. (k. n. 14)

30. *gg)* Epitaphium Regni Daniae agonizantis, eiusque inopinata convalescentia et generosa resurrectio ex tumulo. b. m. 1660. (k. n. l. 4)

Rapp Christoph 31 *hh)* Homo politicus auctore Pacifico a Lapide. Cosmopoli 1664. (str. 30)

32 *ii)* Stetget Harip. Conjectio de futuro Romanorum rege promovendo in imperatorem. b. m. 1658. (str. 22)

Frischmann Johann 33 *kk)* Collegium reliquorum Imp. deputatorum ad Collegium electorale de praesenti statu Imp., imperatore eligendo, scribenda lege, annexis aliis. b. m. 1657. (str. 97)

34 *ll)* Responsio ad duo scripta Danica, quorum alterum sub

titulo Juris fecialis armatae Daniae, alterum sub nomine Manifesti exiit. Francofurti 1658. (str. 39)

35 *mm)* Epistola equitis Romani de eligendo rege Romanorum b. m. 1658. (str. 16)

36 *nn)* Brevis informatio et demonstratio, quam injuriosis et calumniosis persuasionibus feliciss. record. Imp. quondam Ferdinandum III. ejusq. filium Ser. Hung. et Boh. Reg. Leopoldum ablegatus Reg. Suec. coram electoribus et statibus imperii emisso in publ. libello accusatorio ruptae pacis insimulare conatus fuerit. b. m. 1658. (k. n. l. 15)

37 *oo)* Scher Mart. Vota Germaniae intranti Austriam oblata Leopoldo. b. m. i r. (k. n. l. 4)

38 *pp)* Biörenklou Math. Memoriale novum in puncto pacis et securitatis publ. quod nomine S. R. M. Sueciae d. 4 Maii a. 1658 exhibitum est S. Rom. Imp. collegio electorali. Francofurti 1658. (str. 7)

39 *rr)* Delirus prodromus in viam reductus. b. m. i r. (str. 6)

Frischmann Johann 40 *ss)* Delirus prodromus. b. m. 1658. (str. 14)

Schultz Peter 41 *tt)* Negeschius Petr. Comparatio inter Claudium Tiberium princ. et Olivarium Cromwellium protectorem. b. m. 1657. (str. 28)

Frischmann Johann 42 *uu)* Classicum belli christiani ad christiani principes orbis adversus christiani nominis hostes Ottomanidas. b. m. 1651. (str. 37)

43 *vv)* Disjectio rejecta sive iterata et constans querelarum Gallicarum discussio. b. m. i r. (str. 22)

Frischmann Johann 44 *yy)* Responsum ad nuperam illam admonitionem Gallico juxta ac Germanico stilo adversus sanctius Christianiss. regis consilium publicatam ex causa Mardici Anglis belli contra regem catholicum sociis cessi. b. m. 1658. (str. 32) sk. 5. —

Exp. dobrze zachowany tego zbioru pism ulotnych do panowania Jana Kazimierza odnoszących się. Oprawa z wyciskami i klamrami.

1773. Pękalski Petr. De Petri militis per S. Stanislaum epis. Crac. resuscitatione. Cracoviae 1826. 8vo (k. n. 2, str. 23) br. —

1774. Peterek Jan. Wykład systematyczny zarazy bydlęcéj, prz J. N. Kurowski. Warszawa 1833. 8vo (str. 108, tabl. br. —

1775. Petricius Joan. Innoc. Historia rerum in Polonia gestarum anno 1620. Cracoviae b. r. 4to (k. n. 3, str. 77)
b) Princeps Polonus. Cracoviae 1633. (str. 109) psk. 10. —

1776. — Palaestra oratoria sive Imitatio Ciceronis. Cracoviae 162 4to (k. n. 50) br. 3. —

1777. Piasecki Fel. Wróżka, dramat. Kraków 1861. 8vo (str. 3 br. —

1778. — Jac. Mythologia Aeneidum P. Virgilii Maronis. Cracovia 1635. 4to. (k. n. 8) br. — 5

1754. Paradoxa koronne publica i privatim potrzebne szlachcicowi polskiemu, napisane r. 1603. Kraków 1853. 8vo (str. XXI k. n. 1, str. 152, k. n. 2) br. — 25

1755. Paritius Christ. Frid. Commentatio brevis ex historia literaria de quibusdam Silesiis eruditis in Polonia muneribus functis. Cracoviae 1816. 4to (str. 24) br. — 40

1756. Parkossius Jac. Antiquissimus de orthographia polonica libellus. Posnaniae 1830. 12mo (str. 99) br. — 50

1757. Parthenay v. A. Geschichte von Pohlen unter der Regierung August II. Mietau 1772. 8vo 2 Ty (I. str. XIV i 508; II. str. 640) p. 2. —

1758. — Histoire de Pologne sous le regne d'Auguste II. La Haye 1733. 8vo 2 Ty (I. str. XXIV i 256; II. str. X i 256) 2. —

1759. Paschacy Andr. Sig. Plausus laetitiae publicae ad triumphalem post victorias reditum serenis. ac invictis. princ. Joannis III. reg. Polon. etc. expressus. Cracoviae 1683. fol. (k. n. 14) br. — 50

1760. Pasternak K. F. Wielki świat małego miasteczka. Wilno 1832. 8vo T. II. (str. 214) br. — 25

1761. Pastorius Joach. Bellum scythico cosacicum etc. Dantisci 1652. 4to (k. n. 8, str. 269, k. n. 1) p. 7. —

1762. — Florus Polonicus, seu Polonicae Historiae epitome nova. Lugd. Batavor. 1641. 16mo (str. 215, k. n. 16) br. 1. —
Brak tytułu, dedykacyi i przedmowy kart 7.

1763. — dtto. Gedani et Francoforti 1679. 16mo (k. n. 22, str. 851, k. n. 20) psk. 2. —

1764. Paszkowski Franc. Mowa miana przy założeniu podstawy mogiły na pomnik Tadeuszowi Kościuszce 1820 r. Kraków b. r. 8vo (str. 12) br. — 25

1765. Paterkula K. Welleja Historia. Warszawa 1830. 8vo (k. n. 1, str. 276) psk. — 50

1766. Pauli Żeg. Pamiętniki do życia i sprawy Samuela i Krzysztofa Zborowskich. Lwów 1846. 8vo (str. XI i 215) br. 1. —

1767. — Pamiętniki o wyprawie chocimskiéj, z rękopismów i druków mniéj znanych. Kraków 1853. 8vo (str. XI i 184, k. n. 1) br. 1. —

1772. Pax Polono-Svecica, per deputatos ad id sereniss. ac potentiss. princip. Poloniae, Sveciae Regum legatos conjecta Olivae 1660. 4to (str. 22)

2. b) Pax Germano-Svecica etc. Viennae 1648. (str. 84)

3. c) Wolphius Joh. Pannonia perrorata panegyrice. b. m. 1652. (k. n. l. 10)

4. d) Rewa de Petr. De sacra corona Regni Hungariae. Viennae 1652. (str. 96)

5. e) Copia literarum cujusdem magnae dignationis Poloni Dn. Przimsky ad fratrem suum Dn. Christ. Przimsky Casell. Culm., in quibus amore patriae suae ductus explicat, quid sentiat de tractatu Polonorum cum Austriacis. Cussini 1657. (str. 11)

6. f) Biörenklou Mat. Memoriale iteratum in puncto pacis et securitatis publicae. Francofurti 1658. (str. 12)

7 g) Statera veritatis ad quam responsum Gallicum. b. m. 1658. (str. 27)

Frischmann Johann 8 h) Statera veritatem transgressa subversa. b. m. 1658. (str. 19)

9 i) Circa pacem religiosam ficta veraque propositio in Epist. ad D. Baronem. b. m. 1661. (k. n. l. 10)

10 k) Querelae universi cleri in Majori Polonia et Dioec. Posnan. super barbara Austriaci militis insolentia, in Ord. Eccl. et Christ. patrimonium exercita. Posnaniae 1658. (str. 4)

11 l) Olszowski Andr. Expositiones coram eminentis. D. Elect. Moguntin. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

12 m) Olszowski Andr. Memoriale nomine S. R. M. Poloniae et Suec. ad S. E. Illustr. S. R. Imp. Electores, Principes et Ordines. b. m. 1658. (str. 4)

Frischmann Johann 13. n) Moguntini labores electorales, praevii et electorii. b. m. 1657. (str. 45)

14. o) Grandmont Ant. et H. de Lionne Memorialia bina, primum ad deputationem statuum ord., posterius ad collegium elect. directa. Francofurti 1658. (str. 15)

15 p) Disjectio brevis illius Gallicarum querelarum discussionis. b. m. 1658. (str. 16)

16. q) Pacificatio Ratisbonensis inter S. C. Maj. et Regem Franciae. b. m. i r. (k. n. l. 8)

niss. ac poen-
gatos conicta

(str. 84)
gyrice. b m.

i Hungariae.

is Poloni In.
usky Castll.
explicat, qid
cis. Custini

ncto pacis et
)

licum. b. n.

. m. 1658.

io in Epis.

Dioec. P-
tia, in Or.
niae 1654.

is. D. Elec.

M. Polonia
, Principe.

electorii. b

bina, pri
d collegium

discussio-

et Regem

MEMORIALE
Ad
EMINENTISSIMOS & SERENISSIMOS
Sac. Romani Imperij
ELECTORES
Directum & unà cum prioribus binis d. 22. Februarii.
Anno 1658. exhibitum,
à
SACRÆ REGIÆ
MAJESTATIS SVECIÆ
Ad
SAC. ROM. IMPERII ELECTORES,
Principes & Status
Extraordinario Ablegato,
MATTHIA BIORENKLOU,
Ejusdem SUÆ MAIESTATIS Consiliario Status Aulico, & Ducatuum Bremensis & Verdensis Præside,
Hæreditario in Elmenhoff, VVannestadt, & Tislinge.

M DC LVIII.



MEMORIALE.



Ensis jam quintus agitur, ex quo nomine S. R. Majestatis Sveciæ Eminentissimo Domino Electori Moguntino & Imperij Ordinariæ Deputationi exhibita sunt duo adjuncta Memorialia, & ijs ipsis ostensum, quibus modis Pax Osnabrugis & Monasterij Westphalorum ante novennium & quod excurrit, facta, successu temporis ingentia detrimenta ceperit, & nunc (nisi commune omnium Imperij Ordinum consilium mala ingruentia avertat) planè conculcari possit. Qui verò factum sit, quod tanti momenti res huc usque in consultationem Ordinariæ Deputationis non sit deducta, nunc non disquiritur. Sufficere sibi arbitratur altissimè memorata Regia Majestas, quòd in tempore, cùm per ejusmodi scripta, tùm etiam per Ministros suos sæpius in his Imperij Conventibus & alibi apud eos, quorum existimat interesse ut Sacrosancta Pax sarta tecta conservetur, testatum fecerit, sibi, ceu dictæ pacis Consorti & Imperij Constatui, curæ fuisse & esse, ut non modò S. Romano Imperio plenaria sua tranquillitas, sed, Polonicis motibus convenienter sopitis, Orbi etiam Christiano suum pariter robur, quantociùs redintegrentur. Placuit verò hactenus parti alteri, quæ S. Reg. Majestatem Sveciæ ad suprà allegatum modum tantopere læsit, vix ore tenus contestari, ne dum reapse daclarare, dictæ redintegrationis sollicitudinem: ut vel exinde & alijs insuper indicijs suspicio incidere posset, quasi compositionem tantisper præ se ferat, dum quæ nunc instat Regis Romanorum Electio, perfectionem suam adipiscatur; postea verò quàm sui voti summam fuerit consecuta, incœptis destinationibus insistere velit. Quando

ergo

ergo talis intentio non potest non vergere in constitutæ per Imperium pacis præjudicium, & Eminentissimis atque Serenissimis Sacri Romani Imperij Dominis Electoribus nunc propositum est aggredi Electionis negocium, suarum partium esse duxit S.R.M. Sveciæ infrà scriptus Ablegatus Extraordinarius per hoc & adjuncta Memorialia Eminentijs & Serenitatibus Suis Electoralibus statum rerum denuo repræsentare, & simul S. R. Majestatis Sveciæ postulata in calce posterioris Memorialis hîc adjuncti perpendenda decenter proponere. S.Reg.Majestas Sveciæ ut proposito & consilijs Eminentissimorum & Serenissimorum Dominorum Electorum prosperum à Deo successum in ipsa Electione exoptat; ita nequaquam dubitat, quin suæ Eminentiæ & Serenitates Electorales in hac opportunissima occasione, velint pro ea, quâ pollent potestate, adæquatis medijs Regnorum fœderatorum satisfactioni & paci per Imperium conservandæ prius consultum ire, quàm ipsi Imperatoriæ Electioni manum imponant supremam.

Francofurti ad Mœnum
d.22.Febr.An.1658.

MATTHIAS BIÖRENKLAU.



I. MEMORIALE.

EMINENTISSIME PRINCEPS ET ELECTOR,
Domine Clementissime,



Uod ad instantiam Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ, Domini mei Clementissimi, Eminentia Vestra Electoralis d. 7. hujus mensis Ordinarios Imperii Deputatos ad consultandum super Memoriali, à parte Sac. Reg. Maj. Sueciæ, ratione irruptionis Danicæ, ante plures menses exhibito, convocare voluerit, eo nomine non minus de omnibus Sacri Romani Imperii Statibus, quàm de Sac. Reg. Majest. Sueciæ, ceu ejusdem Imperii membro, benè mereri pergit. Intellexi Austriacum Directorium in Collegio Principum impedivisse dictam consultationem. Ut ergò Eminent. Vestra Electoralis penitius perspiciat, cur Austria hoc tempore Interregni ventilationem ejus negotii tantoperè reformidet, huic meo adjungo alterum Memoriale ad Sac. Rom. Imp. Ordinariam Deputationem. Non potest Em. Imp. Electoral. latere status rerum in Imperio & in ejusdem vicinia, præcipuè verò quòd hinc inde Gemaniæ admoveantur faces novi & magni incendii. Si tamen dignabitur dictum Memoriale perlegere, deprehendet eos, qui pacem in Imperio & fidam vicinitatem cum Regnis fœderatis colere debuissent, talia pericula jam diu quà consiliis, quà armis architectari. Notum est toti Imperio, non solùm quo zelo Em. Vest. Electoralis cum aliis Imperii Electoribus, Principibus & Statibus jam diu suaserit, ut Constitutiones de Imperii defensione recognitæ, præsenti tempori quantocius aptarētur, sed etiam quorum instinctu & quo prætextu tanta & tam necessaria consultatio in novissimis Imperii Comitiis suspensa sit. Scilicet interfuit eorum, qui intendebāt pacem Imperii oretenus tantum servare, reapse verò eandem conculcatum ire, Imperium manere semper, si non planè inerme, saltem perfecta & huic tempori accommodata dispositione statæ & ordinariæ militiæ destitutum. Quia verò Ordinaria Imperii Deputatio vigore tàm primævæ institutionis, quàm novissimæ Ratisbonen-

bonensis Imperialis Constitutionis de ratione exactæ defensionis in me um consulere potest, & Eminentiæ Vestræ Electorali ortis magnis & repe tinis motibus, quales sunt irruptiones Danorum & Polonorum, competit ctæ Deputationis & convocatio, si nondum congregata esset, & congrega Directio ; ideò vigore adiunctæ Plenipotentiæ & acceptorum mandatoru tantò confidentius ad Eminentiam Vestram Electoralem confugiũt, & qua p est humillima reverentia ab eadem peto, velit adiunctum meum Memorial Ordinariorum Imperii Deputatorum consultationi subiicere, & eò rem dir gere, ut si de integra & perfecta Imperii defensione & securitate consultandur sit, interea & sine aliqua interposita mora, ex præscripto Constitutionum Im perii & quidem novissimæ Ratisbonensis. §. Nach dem auch Chur-Fürster und Ständen/ ꝛc. pro recuperanda Bremerverda & aliis locis à Rege Dani occupatis, quantocius auxilium Imperii decernatur, Deus conservet Em. Vest Electoralem quàm diutissime Imperio salvam & incolumem. Francofurti ad Mœnum d. 22. Septembris, Anno 1657.

Eminentiæ Vestræ Electoralis

Humillimus & obsequentissimus Servitor

MATTHIAS BIORENKLOU.

II. MEMORIALE.

in quo

Nomine Sacræ Regiæ Majestatis Sueciæ exponitur,

quod inconsultis Sac. Romani Imperii Electoribus, Principibus & statibus Sac. Cæs. Mai. nuper defuncta decreverit, & Reg. Maj. Hungariæ & Bohemiæ, ceu S Imperii Romani membrum & constatus susceperit bellum in Polonia contra Sueciam, quodque durantibus dicti belli præparatoriis Austria procurarit & Poloniæ ultimum pene exitium & Germaniæ non modo invasiones Polonorum & Danorum; sed etiam (nisi in tempore præveniatur) ingens belli incendium.

SAcra Regia Majestas Sueciæ ex quo ante biennium & eo amplius contra Poloniam arma resumere necesse habuit, manifestis equidem indiciis intellexit, nuper defunctam S. C. Majestatem averso quodam animo partim concitare Sueciæ odia & inimicitias vicinorum, partim etiam præparare arma sua, ut se motibus aliquando immisceret Polonicis; sed simul tamen considerabit, non esse Imperatori Romano-Germanico integrum *sine comitiali liberoq; omnium Imperii statuum suffragio & consensu inire fœdera, & bella concernentia salutem totius Imperii suscipere*, atque ideo speravit devolutum iri hoc negocium ad comitia Imperii, ubi Sac. Regia Majestas Sueciæ suam quoque mentem toti Imperio exponere posset. Postquam etiam Deo placuit Sac. Cæsar. Majestatem præterito vere inter medias belli contra Sueciam inferendi cogitationes ex hoc mundo evocare, subiit S. Reg. Mai. Sueciæ animum certa spes fore, ut Reg. Mai. Bohemiæ & Hungariæ út & Austriaca Domus respectu incertæ Electionis si non diutius, tantisper tamen à prioribus consiliis desisterent, dum novum Imperio caput fuisset electum. Atq; in eum finem & ut S. Rom. Imperio constaret de supra indigitatis domus Austriacæ consiliis & actionibus, in mandatis dedit S. Reg. Mai. Sueciæ Ministris suis in Imperio agentibus, ut quisq; eorum in certis Electoralibus & Principum aulis nexum consiliorũ Austriacorum, quatenus bello Polonico innexa deprehendebãtur, ut & gravamina S. R. Mai. mature & decenter exponerent, eoq; ipso requirerent, ut S. Rom. Imperii Electores in futuro conventu Electorali, reliqui verò Principes & status convenienti ratione singula gravamina & domus Austriacæ attentata apud se perpenderent & quisq; eorum pro suo munere caverent paci per Imperium, & impendentia mala in tempore avetterẽt. Verùm à parte Austriæ plus valuisse

pröprii & domestici Status rationes & principia, quàm Imperii præsentem Statum & jura vel inde apparet, quod post decessum Sac. Cæs. Maj. non solum Rex Daniæ ejus instinctu & impulsu invaserit Sueciæ Provincias in Imperio sitas; sed etiam R. Maj. Hungariæ & Bohemiæ apertè jam arma susceperit contra S. R. Mai. Sueciæ in Polonia, idque cum alias ob causas, tum maximè (ut R. Mai. Bohemiæ instructio pro Dn. Volmaro conscripta & postea typis publicis vulgata id apertè dicit) *ad conservandam pacem Imperio nuper partam, & prævenendum, ne subacta Polonia, cum Suecico exercitu Orientales Barbari populi undique Germaniæ imminentes Imperium aperto bello aggrederentur*; nullo, in tam ardua & totum Imperium concernente re, habito respectu Interregni & futuræ Electionis; nullaque facta mentione *prævia, legitimæ & comitialis omnium S. R Imperii Ordinum consultationis & suffragationis*: non aliter hac in re agendo, *quam quasi Imperium in absoluto jure & ditione Austriæ esset, illique integrum pro lubitu de belli pacisque negociis in Imperio disponere.* Prætexuntur equidem huic festinatæ resolutioni sequentes causæ; quod scilicet S. R Mai, Sueciæ Regem Poloniæ vi pactorum Osnabrugensium & Monasteriensium Amnestia generali comprehensum, armis adorta sit; & licet nuper defuncta S. Cæs. Mai. interpositionem suam cum adiunctione Electorali, Regibus belligerantibus obtulisset, & Rex atque Respub. Poloniæ oblatam admisissent, R. tamen Mai. Sueciæ, postquam Cæsareum Ablegatum in quartum mensem frustra & non sine ludibrio distinuisset, dictam Cæsaream Interpositionem reiecerit: quodque hoc non attento, Sac. Cæs. Mai. perseveraverit tamen in priori suo scopo consulendi nempe paci inter duo Regna faciendæ, & ècontrà, quod S. R. Mai. Sueciæ (fatentibus id Gallicis Ministris) ne quidē permittere voluerit, ut S. C. Mai. pace Sueciā inter & Poloniā facienda comprehenderetur: sed continuando immane illud bellū Regem Poloniæ regno pepulerit & Silesiā infestaverit, ansamque dederit Tartaris appropinquandi Imperio: Ita, ut S. C. Mai. certior facta à Rege Poloniæ pluribusque aliis, Sac. R. Mai. Sueciæ instinctu Galliæ constituisse post debellatam Poloniam, in Austriacas ditiones sedem belli transportare, in eumque finem apud portam Ottomannicam laboraverit, ut princeps Transylvaniæ Poloniam bello impeteret, non amplius nec ipsa nuper defuncta Sac. Cæs. Mai. nec post eius obitum Reg. Mai. Bohemiæ sibi esse cessandum; sed antequam Polonia plane pessundaretur & tot Barbarorum agmina Imperio propius appropinquarent, ipseque Turca neglectis induciis, huic motui sese immisceret, è re sua & Imperii futurum iudicaverint adsistere Poloniæ, non animo acquirendi aliquid in Polonia, sed quia mitioribus mediis fieri

fieri non potuit, armata manu flectendi S.Reg. Mai. Suæciæ ad æquas conditiones pacis. Hæ causæ obtenduntur armis Austriacis contra Sac. Reg. Mai. Sueciæ Sed ut pateat, Sac. Cæs. Mai. nuper defunctam & eius exemplo Reg. Mai. Hungariæ & Bohemiæ contraria omnia egisse, & nihil minus, quam Imperii salutem & pacem spectasse; ideo cum res hæc concernat totum Imperium, & Ordinaria Imperii Deputatio *ex Commissione sibi data corpus Imperii nunc repræsentet*, eidem Ordinariæ Deputationi hoc Memoriali ad oculum monstrabitur *primò*, quod nuper defuncta S. Cæs. Mai. non modò impediverit pacem inter Sueciam & Poloniam, sed simul etiam excitaverit S. Reg. Mai. & Regno Sueciæ alios hostes, imò ipsi Imperio Romano-Germanico varias hostiles invasiones, eoque ipso in causa fuerit, quod & S. R. Mai. Sueciæ alios in societatem armorum contra Poloniam admiserit & quod Poloniæ Regnum exinde miserè sit afflictum: *Deinde* quod Domus Austriaca dextrè procuratis aliorum armis ad affligendam sibi semper adversantem Poloniæ Nobilitatem, demum bene contusis & humiliatis Polonis, affectaverit gradum ad coronã Poloniæ, & adipiscendi perpetui in eam iuris ergò bellum hoc susceperit: *Tertiò*, quod cum Domus Austriaca tenax sit talium iurium & prætensionum; vicini verò Reges, Principes & Respub. nunquam possint permittere, ut Austriacæ ambitioni aliàs immensæ Polonia quoque accrescat, ideo nihil aliud inde expectandum esse, quam Poloniam fore theatrum omnis miseriæ & Antemurale illud Imperii conculcatum iri, adeoque iam ab Austria occasionem & causam præbitam esse aliis invadendi Imperii Provincias. 1. Quod attinet *primum* Membrum, id propius considerabitur, postquam ex occasione & ductu supra allegatæ Reg. Bohemicæ instructionis paucis & quidem in transcursu causas huius belli Sueco-Polonici attingere licuerit. Fuit equidem Rex Poloniæ comprehensus pactis Osnabrugensibus, sed suo modo & ea ratione, ut alii Reges, Principes & populi clausula ibidem generali recensiti sunt. Quemadmodum vero absurdum esset, omnium Regum & populorum dictis pactis comprehensorum controversias vigore generalis eius clausulæ esse sopitas: ita controversia, quæ vertitur inter Reges Sueciæ & Poloniæ de iure Regni Sueciæ, non potest illuc trahi, utpote de qua nihil neque actum, neque statutum est, imò nec statui quidem potuit in Tractatu Osnabrugensi. Quin potius in pactis Stumsdorfianis An. 1635. provisum fuit, ut de perpetua pace inter duo Regna ineunda peculiaris Tractatus institueretur: qui deinde post conclusam Germaniæ pacem utriusque partis consensu Lubecæ bis est habitus. Placuit tum Poloniæ (quod ex Polonicorum Commissariorum Protocollo Lubecæ

ſcripto multis ad oculum demonſtratum eſt & adhuc demonſtrari poteſt) poſt victoriam à Tartaris & Coſacis ad Bereſtesko obtentam, mandare ſuis Commiſſariis Lubecæ agentibus, *ut ſub ventilatione præliminarium penetratis Commiſſariorum Suecicorum animis, congreſſum Lubecenſem dextrè diſſolverent.* Quod cum diu tentaſſent, & Suecici integram Titulaturam conſtanter urſiſſent, tandem habetur Lubecæ inter Polonicos Commiſſarios *conſultatio, an ad prætenſionem Suecicorum Commiſſariorum Tituli poſſent reformari?* In qua poſt lectam Magni tum Poloniæ Cancellarii, nunc verò Archiepiſcopi Gneſnenſis Epiſtolam ad Commiſſarios Polonicos Warſavia d. 20. Auguſti An. 1651. ſcriptam *de nullatenus admittendo Sueciæ poſtulato circa titulum Regis Poloniæ hæreditarium; ſed potius rejiciendo Tractatu in aliud tempus & hoc ea de cauſſa, ſiquidem cum renunciatione tituli ceſſaret materia Tractatuum:* tum lecta illa Epiſtolæ, Caſtellanus Chelmenſis ſuadet, ne acriori Titulorum propugnatione innocenti vitulo damnum paretur: *non eſt* (ait idem *in protocollo*) *nobis amplius integrum prætendere talia à Suecicis ob nimiam in noviſſimis Tractatibus Pruſſicis Commiſſariorum Polonicorum licentiam, commiſſam non tantum infami ſigilli raſura; ſed etiam pactis ſuper Titulatura & modo communicationis cum Suecis: Si à nobis inſtantius urgeretur, fieretque cauſa diſceſſus, facilè à Suecis in convulſionem pactorum baptizari poſſet, & intempeſtivum nobis cauſari bellum, cujus averſio quantam nobis ob labefactatas Reipub. vires imponat neceſſitatem, nemo eſt, qui non perſpiciat.* Tranſierunt quidem in eam ſententiam Caſtellanus Gneſnenſis & Capitaneus Mitavienſis; ſed ille tamen cenſuit, *ut non alte nimis: ita nec demiſſe cum Suecis eſſe agendum; Suecis enim æque optabilem eſſe pacem ac Polonis; vires Reipub. Poloniæ acciſas auxiliis Auſtriæ poſſe adjuvari, utpote quæ ab ineunda concordia* (*verba* ſunt dicti Polonici Protocolli) *nos retrahens promittit ex Hiſpania claſſem & belli nervum contra Sueciam, quoties opus fuerit, & petit, ut ſolis civitatibus Hiſpanicis commercium permittatur Polonicum, & ut Rex Poloniæ ſemper armatas habeat naves ad aſſerendum pro ſua parte maris Balthici dominium.* Scilicet Poloniæ Rex hac Auſtriaci auxilii ſpe illectus non amplius de perpetua pace ſancienda, ſed de commoda occaſione aggrediendi Sueciã cogitavit. Et quia talis illi apparebat tum emerſiſſe, quando ſcilicet ſub abdicationem S. R. Maj. Reginæ Chriſtinæ Regno Sueciæ orti videbantur cùm domi parum concordes animi, tum in Ducatu Bremenſi motus bellici, ideo Poloniæ Rex licet male conſtitutis rebus in Polonia & Lithuania, uſurus tamen ea occaſione, de claſſe in mare Balthicum invehenda & Coſacis contra Livoniam animandis conſilia inire cœpit. Et ut in tempore juri ſuo in Sueciam

præten-

prætenso consuleret, quendam nomine Canasilles in Sueciam misit, qui An. 1654. Ubsaliæ in publicis Regni Comitiis circa dictam abdicationem non modò protestatus est contra translationem Coronæ in modernam S. R. Maj. sed alia etiam intoleranda non veritus est inter Status Regni Sueciæ disseminare. S. R. ergò Maj. Sueciæ admota clavo sui Regni & intelligens, Regem Poloniæ nullo perpetuæ pacis desiderio teneri; quin potius in præjudicium pactorum Stumsdorfianorum non modò multa exemplo sui fratris commisisse; sed etiam ausum esse per expressum emissarium in conventu Ordinum Regni protestari contra translationem Regni in se & stirpem suam jamdiu delati, & simul etiam tam in Regno Sueciæ, quàm extra idẽ apud vicinos procurare sibi odia & bellum internecivum, inque eum finem arrogare sibi & denegare S. R. Maj. debitos Titulos, consiliaque agitare de introducenda classe in mare Balthicum *pro asserendo sibi dicti maris dominio*: justissimas utique & necessarias habuit causas sumendi arma contra eundem Regem Poloniæ, ut cum eo, qui nec amicabili ratione pacem promovere, nec induciarum pacta religiosè observare voluit, sub clypeo de pace agere posset. Neque enim aliquis, nisi affectibus suis nimis indulgens affirmaverit, Reges & Regnum Sueciæ debere pati pactorum Stumsdorfianorum violationem & infinitas Polonorum injurias propterea, quod Rex Poloniæ comprehensus esset Pactis Osnabrugensibus. Antequam verò S. R. Maj. arma caperet, monuit Regem & Rempub. Poloniæ *primùm* per dictum Polonicum emissarium Canasilles, & *deinde* per suos & Regni sui Senatores, ut pactis tantoperè violatis maturè consulerent redintegrandæ paci, vel certè bellum expectarent. Quemadmodum verò ex supra allegato Polonico Protocollo apparuit, Austriam impedivisse, quò minùs Lubecæ pax fieret; Ita ex sequentibus evidentissimè patebit, quod ex quo ante biennium & eò amplius res visa est spectare ad bellum inter Sueciam & Poloniam, & postea etiam eadem omnibus viis & modis tractatui & paci sese objecerit. Cum enim *R*ex & *R*espub. Poloniæ An. 1655. legationem in Sueciam mitterent, simul & eodem tempore Sac. Cæs. Maj. ministros suos ad Czarem Moschorum ablegabat, ut dum Legatio Polonica Sac. *R*. Maiest. Sueciæ frustraneo tractatu in Suecia distineret, & ab expeditione in Poloniam averteret, Cæsarei Czarem Moschorum ad bellum contra Sueciam excitarent. Tentavit equidem Legatio Polonica Stockholmiæ primùm, ut prioribus induciis staretur, & deinde (cum Suecia talibus ampliùs nollet fidere) ut exercitus Suecicus non in Poloniam, sed Livoniam transportaretur, ut scilicet ita Czari Moschorum eò majorem suspicionem cieret. Cum neutrum obtineri

posset & legatio in tali casu causaretur defectum mandati, conventum est de Tractatu Stetinum transferendo. Pergit deinde Sac. Reg. Mai. Sueciæ primum in Pomeraniam & deinde in Poloniam. In primo ingressu in Poloniam obvii proceres Poloniæ inculabant Regem suum & ejus adhærentes, quod secuti sint non tam Nobilitatis & Reipub. suffragia ad pacem tum maturandam intenta, quàm Austriacorum consilia eventum commissionis in Moschovia expectandum inculcantia. Rex Poloniæ spe quoq; successus dictorum conatuum Austriacorum rejecit etiam Tractatum Stetinensem, in quem Commissarii Polonici Stockholmiæ consenserunt. Sancitum est pactis Osnabrugensibus, *ut utraque pars paciscens alterius utilitatem, honorem & commodum promoveret, neque ullius rei prætextu altera alteri posthac quicquam hostilitatis aut inimicitiæ, molestiæ aut impedimenti, clam vel palam, directè vel indirectè, in Imperio, aut uspiam extra illud inferret, aut inferri faceret.* Quam religiosè nuper defuncta Sac. Cæs. Maj. huic legi pacis steterit, & *quàm fidam vicinitatem & securam studiorum pacis culturam Austria erga Sueciam adhibuerit*, testatur cùm suprà allegata dissolutio Tractatus Lubecensis, tum vel unica mediatio ejus Vilnensis inter Regem Coloniæ & Czarem Moschorum, in qua (ut ex Protocollo Commissariorum Polonicorum Vilnæ notato & typis publicato, pluribus patet) non modò præcipuas partes & laudes obtinuit concitatorum Moschoviticorum armorum contra Sueciam; causamque præbuit immanissimi belli in Livoniam, Esthoniam & Ingermanlandiam prolati; sed etiam Czarem Moschorum inescavit vana spe adipiscendi coronam Poloniæ, quam tum suæ domui conciliatum ibat. Erant hæc Austriaca consilia adhuc sub incude in Moschovia, cum Sac. R. Mai. Sueciæ An. 1655. victricia sua arma per Poloniam circumtulit. Et quia de eventu tentaminis illius Austriaci in Moschovia nihil certi adhuc haberi potuit, ideo Rex Poloniæ per Legatos suos Prziemsky & Bronkovvsky viam iterum ad Tractatum parare cœpit. Nam pro Palatino Lanciciensi Dn. Comite Lessinio & Regni supremo Mareschallo Dn. Lubomirskio in eum finem Salvus conductus à S. R. Mai. postulatus est. Et cum utrinque appareret spes boni successus, ibi tum Sac. Cæs. Mai. 16. Novembr. An. 1655. mittit Bohemiæ Vice-Cancellarium Dn. Comitem de Poettingen ad S. R. Mai. Sueciæ, ut verbis mediationem offerret reapse verò diffidio oleum adderet. Novit equidem tum Sac. Cæs. Mai. cœptum esse agi de pace inter duo Regna sine mediatoribus; novit etiam, quod si *Mediatores* essent assumendi, non posse eos præteriri, qui Lubecæ fuerant utrinque adsciti; & admissa Imperiali *Mediatione* numerum ultra modum auctum iri; Novit etiam

omnium

omnium optimè, quibus mandatis Legatio sua in Moschovia hærens instructa esset, facileque conjicere potuit, Suecicos Legatos ibidem & percepisse & Sac. Reg. Mai. retulisse, quanta semina diffidentiæ inter Sueciam & Moschoviam jam tum sparsissent; Novit insuper non solùm Sac. Cæs. Mai. sed tota etiam Germania, Regem Poloniæ per Palatinum Lanciciensem Viennæ implorare auxilia contra Sueciam. Quod verò Cæsareorum auxiliorum spe freta esset Polonia jam tum cum Dn. Poettinger in Commissione sua fuit, id Sac. Reg. Mai. Sueciæ eodem tempore ex Regis Poloniæ literis ad civitatem Thoruniensem A. intellexit. Novit, inquam, Sac. Cæs. Mai. hæc omnia & judicare potuit, talia non convenire offerendæ interpositioni: misit tamen Ablegatum suum & literas ad Sac. Reg. Mai. Sueciæ, ut Polonos in Tractatum cum Suecia pronos hac spe aliquantisper distineret, & interea belli flammas commoveret in majus; idque probari potest tam exactionibus ipsius Ablegati Cæsarei, quam literarum tenore. Suprà allegata Instructio indigitat, ipsum Imperialem Ablegatum in quartum Mensem cum ludibrio à Sac. Reg. Mai. distentum fuisse. Venit idem Imperialis Ablegatus Thorunium, cum S. R. Mai. An. 1655. in Decembri cum exercitu esset ad oppidum Fridlandiam in Ducatu Borussiæ. Et cum illico, atq; Thorunium advenit, à loci Commendante in itineris præsidium & ad maturandam suam profectionem habere potuisset ducentos equites, maluit ibi præstolari, dum Nobilis cum tubicine ad exercitum Suecicum ab eo missus referret illi Regium Salvum Conductum, quò tutiùs non ad exercitum Regium, sed Elbingam ire posset. Postulanti dicto Nobili non fuit passeportus denegatus; sed quandoquidem jam tum innotuit, Quartianos defecisse, & Sac. R. Mai. propterea ad comprimendum dictum motum voluit cum aliquâ exercitus sui parte per Mosaviam inexpectata transire Lovvicium & alicubi in itinere Imperialem Ablegatum audire, ideo fecit indigitari dicto Nobili, ut ad dies aliquot expectaret, quò S. R. Mai. locum & diem Audientiæ, præsidiumque certum Ablegato Cæsareo assignare posset. Neque enim consultum videbatur Tractatu adhuc cum Seren. Dn. Electore Brandeburgico pendente & itinere per Masoviam intuto, de suprà dicta S. R. Mai. intentione properandi in Poloniam, informare Cæsareum Ministrum aliàs parti alteri addictum. Quia verò Nobilis indesinenter & importunè satis institit, ut desideratus Salvus conductus expediretur, indultum est in eo ejusdem voluntati. Post paucos dies itineri se committit S. R. Mai. in Poloniam, & in eo mittit quendam è cubiculariis suis Thorunium, accersitum inde Imperialem Ablegatũ Soldoviam, ut isthic commissa exponeret. Sed quia jam antè Elbingã

properaverat, fortè ut isthic Sac. Reg. Maj. (ut ille putabat) contra Gedanenses moturam opperiretur, ideo Sac. R. Maj. per suum & Regni sui Cancellarium notum illi fecit de sua profectione, & quod (modo statim itineri se committat) eundem vel Lowicii, vel Warsaviæ ad Audientiam admittere vellet. Non venit ille antè Warsaviam, quàm Sac. R. Maj. copias Polonorum ad Columbo cecidisset, & tergori jam in Leopoliensem Palatinatum fugientium inhæreret. Inde mandata dedit suis Ministris, ut quandoquidem Imperialis Ablegatus Warsavia Sandomiriam & inde in Austriam commodissimè redire posset, Sandomiriam eum cum necessario præsidio deducerent; Exposita illi fuit intentio Sac. R. Maj. & oportunitas itineris reditusque in patriam. Verùm maluit ille cum quibusdam malevolis Warsaviæ turbare res Suecicas, quàm hanc redeundi occasionem aucupari. Ubi ergo ita à Decembri in Aprilem sequentis anni vel propria cunctatione, vel certè à Lisola & eius comitatu impeditus commissionem protaxisset, tandem reduci Sac. R. Mai. Sueciæ ex Palatinatu Leopoliensi d. 5. Aprilis An. 1656. in oppido Praga ad Warsaviam mandatum sibi negocium unà cum literis Imperialibus exposuit. Data illi mox fuit optio, ut quando Sac. R. Mai. cum exercitu suo hostem in maiorem Poloniam contendentem statim insequi & deinde in Borussiam ire vellet; utrum exercitum comitari & in itinere versus Silesiam dimitti, an verò in Borussiam rectà ire & ibi expediri cuperet? Habita desuper conferentia cum Residente Lisola posterius elegit, mansitque Warsaviæ, usque dum Rex Poloniæ eandem urbem obsidione cinxisset. Inde verò egressus, ad Septimanas aliquot cum Residente Lisola mansit in castris Polonicis, & inde unà Thorunium venientes, ille ibi substitit; nec Sac. R. Mai. tum Mariæburgi commorantem invisere sustinuit, hic vero Mariæburgum contendit. Convenientius fortè muneri acceptisque mandatis existimabant nectere moras & ubique animare exacerbareque animos Polonorum, quàm maturando iter & indifferenter agendo Sac. R. Mai. tantum & tam salutare negocium interpositionis commendare. Si à Ministris ad considerandas ipsas Imperiales literas animi convertantur, invenientur in illis minaces exprobationes, partis Polonicæ studium & intentionem fuisse, non nudà & indifferenti mediatione, sed vel pro Imperio & summa potestate Imperatori à Deo imposita, vel certè iure Patroni & protectoris; adeò ut, si nullæ aliæ rationes obstitissent, solæ literæ ad utrumque Regem scriptæ, Sac. R. Mai. ab accipienda interpositione avertissent. Cum dictæ Imperiales literæ expedirentur, tum penè omnes utriusque Poloniæ & Russiæ Rubræ Palatinatus erant in fide Sacræ Reg. Maiest. ut & milites Quartiani,

Cosacii

Cosaci etiam pro eadem stabant; & Czar Moschorum omnia adhuc amica præse ferebat: & tamen Sac. Cæs. Mai. in dictis literis dicit, *se non nisi graviter posse ferre concursum & strepitum tot tamque variorum armorum in vicinia.* Nihil tale exprobratum fuit Poloniæ Regi, qui tamen è Silesia in Poloniam impunè emittebat sua agmina & machinabatur ibi motum illũ; qui postea maiores strepitus edidit. Et si procul affectibus conferantur Sac. Cæs Mai. literæ scriptæ ad utrumque Regem, deprehendetur, laudari in iis Sac. Reg. Mai. Poloniæ atque illi testimonium dari, *quod uti nunquam antea, ita ne tunc quidem ab amicabili æquaque compositione abhorruerit*; De Sac. verò Reg. Mai. Sueciæ *conjicitur, quod vel primo exardescentis belli impetu, vel aliis fortè de causis tractationi locum non dederit*; quin imò, *quod animus ejus ex successibus rerum non ad assumendum Tractatum compositionis; sed bellum persequendum propensior esset factus.* An congruerit vel Sac. Reg. Mai. actionibus hæc suspicio, vel etiam mediationem affectanti tam aperta partialitas, æquus arbiter dixerit. Mentio quoque *summi in Repub. Christiana inter ejusdem Reges & Principes Imperatori à Deo impositi muneris* non exiguum scrupulum animo Regio iniecit. Magna equidem est inter Christianos Reges Imperatoriæ Maiestatis prærogativa, quam Sac. Reg. Mai. consensũ Interessatorum introductam, exemplo aliorum Regũ decenter habet. An verò vel summitas & superioritas iurisdictionis in Reges alios à Deo eidem sit imposita, vel quòd ad Regum cõtroversias componendas necessarium sit Cæsareum arbitrium, de eo utique incidere potuit ut iusta dubitatio, ita etiam ansa declinandi mediationem. Neque satis fuit imperiosis & suspectis eiusmodi literis avertere Regium animum, etiam alio indicio erat stringendus. Imperialis Residens Lisola mox post Dn. Comitis Poettingeri audientiam cõmunicavit Sac. Reg. Maiestati exemplar literarum à Palatino Siradiensi Dn. Johanne Koniespolio ad Ministrum quendam Imperialem scriptarum d. 22. Januarii An. 1656. verbis sequentibus. *Hoc infelici patriæ nostræ tempore confugimus ad patrocinium & tutelam Sac. Cæs. Majestatis uti supremi totius Christianitatis protectoris, nec equidem in ea nunc fallimur opinione.* Quod si itaque propositum fuit Sac. Cæs. Maiestati componere Regum Sueciæ & Poloniæ dissidia vigore *vel* summi Imperii, *vel* susceptæ protectionis, quomodò à Sac. Regia Maiestate Sueciæ acceptari & haberi potuit pro indifferenti mediatore? Dicit quidem supra allegata Regia Bohemica Instructio, non Cæsaream modò interpositionem; sed etiam *Electoralem Moguntinam & Saxonicam* tum fuisse adiunctam. Verum de Electorali illa ne verbum vel protulit Dn. Comes Poettinger, vel continuere literæ Imperiales. Quod verò Austriaci demum conculcatã

jam omni confidenti communicatione cum Suecia, in conventu hoc Franco-fordiensi proposuerint mediationem Cæsaream cum Electorali adiunctione, eo utiq; ipso videntur voluisse Sac. Reg. Mai. Sueciæ apud Status inculpare, & hos deinde causæ suæ per indirectum innectere. Qui ergo procul affectu odioque totum oblatæ mediationis negocium pensitat, videbit ex omnib9 eius circumstantiis, Austriacos nihil aliud intendisse, quàm ut eo ipso præberetur ansa *primum* Sac. *R*egiæ Maiestati repudiandi Cæsaream interpositionem, & *deinde* Austriacis concitandi alios contra Sac. *R*eg. Maiestatem ceu omnia pacis media subterfugientem. Neq; enim Austriacis satis fuit excitare Czarem Moschorùm & animare Polonos in perniciem *S*ueciæ, etiam Princeps Transylvaniæ & Zaporoviana gens erat tentanda, & exciendi contra Sueciam Turcæ, Tartari, Dani. Apud Cosacos in Ukraina, ut ut contra Sueciam laboravit, non tamen invenit fidem Austriacus Minister. Neque Lisola ausus in Borussia opera *R*adzievvii seducere Cosacorum Deputatum Abbatem Danielem, intentionis suæ effectu gaudere potuit. Cum Minister Austriacus ad portam Ottomannicam pro Polonia omnem movisset lapidem pro auxilio obtinendo, Tartaris indultum est, ut illa Polonis adferrent; *quanta Poloniæ clade & hominum abductorum numero, non facilè quis computaverit.* Hæc sciunt Austriaci se egisse & Instructio tamen confert culpam accersitorum Tartarorum in Sac. *R*egiam Majestatem Sueciæ! Poloni ergo reduniti & aucti copiis Tartaricis nihil de pace audire sustinuerunt, sed cum Legatus Sac. Majestatis Christianissimæ pacis autor esset, responderunt, *nullam unquam fore pacem, nisi Sac. Reg. Maiestas Sueciæ cum suo Exercitu Polonia & ejus Provinciis excedat, & pro illatis hoc bello damnis satisfaciat.* Victus verò sequentibus diebus ad Warsaviam *R*ex Poloniæ per terræ Vielunensis Dapiferum Dn. Albertum Girisky significari fecit, non fore sibi ingratam Regis Christianissimi operam Interpositionis, modò Legati ad suam *M*ajestatem nunc ire vellent. Susceperunt illi mox iter Lublinum, & primis diebus spes boni successus apparuit; quam primum verò nuncius Vienna advenisset, priori longè durius & quidem tale responsum retulerunt, ut idẽ Sac. *R*egiam *M*ajestatem omnino celare voluerint. In *M*oschorum & Danorum diversionibus tum sita erat omnis spes. Renovato verò fœdere inter Sac. *R*egiam Majestatem Sueciæ & Uniti Belgii Ordines Generales; ut & Czare *M*oschorum aliquantum in Livonia retuso, iterum Rex Poloniæ Gedani An. 1656. brumali tempore commorans cum per mediatores, tum etiam per alios internuncios pacis studium ostendit. In quo cum uterque *R*ex & mediatores ultro citroque commeantes eò usque essent progressi, ut Sac. Regia *M*aiestas Sueciæ &

ciæ & Serenissimus Elector Brandeburgicus in præliminaria, prout à Polonis postulabatur, consentirent, & totum negocium videretur posse tridui spacio componi, ibi tum ad Sac. Reg. *M*aiestatis Sueciæ aulam constitutus Imperialis Residens Lisola oppressurus negocium in herba, illicò non salutata Sac. Regia *M*aiestate Sueciæ, Elbinga Gedanum contendit, effecitq; una cum Danico *M*inistro, ut & Tractatus intermitteretur, & Rex Poloniæ ad Czenstechovā tantisper contenderet, dum Danica arma plenè apparari, & duæ illæ conditiones, quas Austria in pactis erigēdis cum Polonia super auxiliorum præstatione adhuc exegit, melius perpendi possent. Hic iterum regerit Instructio Bohemica, non modo Gallicos ministros tum asseverasse, quod Sac. Cæs. *M*aiestas & Domus Austriaca non potuerit comprehendi tractatu illo inter Sueciam & Poloniam ineundo; sed etiam Galliam intendisse, ut composito bello Sueco-Polonico Sac. Regia *M*aiestas Sueciæ Austriam bello adoriretur. Quod si vel *M*inistri Gallici talia (quæ tamen ab iis in Sac. Reg. *M*ai. Suæciæ aula nunquam sunt proposita vel audita) dixerunt, vel Sac. Cæs. *M*aiestati cordi fuit comprehendi dicto Tractatu, cur Imperialis Consiliarius & Residens Lisola non informavit vel Sac. Regiam *M*aiestatem Sueciæ, vel etiam fœderati Belgii Legationem, tum munere mediatorum fungentis, de Sac. Cæs. *M*aiestatis proposito? Si Sac. Cæs. *M*aiestas scivit, Sueciā & Galliam composito bello Polonico velle invadere Austriam & consequenter bellum in Imperio excitare, cur tanto & tam periculoso tempore Imperii Electores, Principes & Status non convocavit ad *imperij prorogata comitia?* Cur eorum consilia & vota decenti & legitimo modo non requisivit? Sæpe nominata Instructio exaggerat Imperio tum imminentia pericula & solicitam S. Cæs. *M*ai. curam pro eiusdē pace & salute, & nullibi tamen fit mentio statuum, *qui tamen in omnibus deliberationibus super negociis Imperij, præsertim ubi bellū decernendum vel avertendū, ubi pax aut fœdera facienda, sine cōtradictione, imò sine ulla interposita cunctatione deberent gaudere jure suffragii, & sine eorum comitiali consensu, sive in supradictis, sive aliis ejusmodi negociis nihil suscipi.* Scilicet intererat tum Austriæ & ignorare S. Rom. Imperii Electores Principes & Status intentionem contextumq; consiliorum Austriacorum & Polonos ab imminente Transylvaniæ & Cosacorū exercitu egregiè castigari, ut ita ab hisce in tanta calamitate versantibus, eò citius extorquerētur prætensæ cōditiones, & illi videntes concursum tot tamque variorū armorum in Imperii vicinia conatib9 Austriacorum applauderēt. Sed qui expendit, quot quantisque viis Austria non modò Tractatum inter Sueciā & Poloniā impediverit: sed etiam quot hostes, cum primis *M*oschos & Danos Sueciæ excitaverit;

non

non diffitebitur, Austriam quoque in causa fuisse, quod Sac. Reg. Maj. Sueciæ alios in societatem armorũ contra Poloniam admiserit. Corona Poloniæ cum variis esset ostentata, etiã Celsissimo Principi Transylvaniæ oblata fuit. Princeps sciens non modò constitutionum & jurium Poloniæ: sed consiliorum etiam, quæ super eadem corona tam in aula Imperatoris, quã in Moschovia agebãtur, non potuit non pro ludibrio & offuciis habere sibi factam oblationem: ut pote qua videbat Austriacos non minus se, quam Czarem Moschorum ludere & interea suæ domui illam corollam, aliis verò bellum præparare. Sac. etiam Maiestas Sueciæ accepto post pugnam Warsaviensem superbissimo isto responso à Rege Poloniæ & videns, Polonos nõ niti propriis consiliis, sed pendere ab Austria, hanc verò nihil minus, quam pacem promovere, cœpit exinde strictius sociare consilia cum Celsissimo Principe Transylvaniæ. Fœdus, quod tum cum eo percussum est, nihil in se continet, quod quieti & paci sive Rom. Imperii in universum, sive Austriæ quoad ejus Regna & Provincias hæreditarias sigillatim vel ullo in articulo præiudiciosum sit. Fœderatorum securitas & honesta Poloniæ pax scopus erat dicti fœderis. Et si Poloni & Lithuani præterito vere vel æstate in aperto etiam campo eam facere voluissent, apud Sac. Regiam Maiestatem Sueciæ & eius fœderatos nullam invenissent sive tractandi moram, sive conditionum iniquitatem, quin potius tam quoad liberã electionem, quàm aliorum iurium integerrimam suam libertatem. Et Deus, quando inter medias belli suscipiendi cogitationes & ingentes istas Poloniæ flammas S. Cæs. Mai. Ferdinandum III. ex hac vita avocavit, videbatur ostendisse non minus Poloniæ, quàm Austriæ, tempus esse cogitandi de pace. Verùm hoc uno Polonia infelix fuit, quod quandoquidem inter tot hostes universalia comitia convocare & in commune consulere non potuit, ideo Austriæ consilia sequi & eius præsidium quærere adacta sit. Neq; hæc sive causæ suæ, sive occasioni tali defuit, sed dextrè procuravit, ut Poloni, qui Regem Austriacum toties sunt aversati & nunc bellis afflicti, vix de tali Regi suspiciendo audire sustinebant, ab amicis iuxta & hostibus, Suecis, Germanis, Moschis, Tartaris, Transylvanis, Cosacis, Moldavis, Wallachis, imò ipsis Polonis ultra quàm dici potest, tam quoad bona, quàm cruciatus & vitæ dispendia magis magisque contererentur & redderentur opportuni intentioni Austriacorum. Nam (ut nunc ad *Alterum* membrum eatur) si Austria non proposito acquirendi Regnum Poloniæ, sed mota vel pactis cum Polonia antiquis, vel commiseratione Christiana erga afflictos bellum hoc suscepit, cur pacem Lubecæ & postea tot vicibus impedivit? Cur Poloniæ (non dicam) sæpè contra hostes Turcas & Tartaros, sed nuper

contra Cosacos & Moschos, graves Poloniæ hostes, suppetias non tulit? Cur in principio recrudescentis hujus Suecici belli, præcipuè cum omnes Palatinatus à *Rege* Poloniæ jam in Silesia agente, ad Sac. *Reg.* Mai. Sueciæ concessissent, & res in Polonia videretur desperata, vigore antiquorum pactorum in campum non descendit? Scilicet non defuit iis voluntas, sed occasio, quæ ostenderet & Poloniam in cineribus & coronam offerri cum jure perpetuæ successionis. Non opus est recensere priora tempora, & quam sæpe in Poloniæ Interregnis Austria Poloniæ sceptrum ambiverit: propiorum temporum meminisse juvabit, & quidem *primò*, quod Anno 1655. cum *Rex* Poloniæ armis Suecicis *Regno* esset pulsus & Quartiani nutarent, tum Austriacus quidam fuerit apud Quartianos, qui iis auxilia Imperatoria promitteret, modò post fata Regis Johannis Casimiri corona conferretur alicui ex Domo Austriaca. Quando proceres & Nobiles Quartianis adscripti hanc propositionem reiiciebant, non propterea à parte Austriæ omissum est idem institutum. Apud Regem & Senatorum quosdam de eo deinde agi cœptum esse vel inde apparet, quod cum *Rex* Poloniæ in supra allegatis literis suis, scriptis Crosnæ d. 4. Januar: Anno 1656. ad civitatem Thoruniensem affirmat, Cæsarem promittere sibi auxilia tum Legati Imperiales in Tractatu Vilnensi suaserint Polonis, ut concitato jam Czare Moschorum contra Sueciam, & duobus istis invicem collisis tractatum cum Moschis rumperent, quò spes, quam Czari Moschorum fecerant de consequenda corona, Polonorum ruptura concideret, & sic Imperator non videretur inescasse Czarem vana spe & sibi procurasse Poloniæ regnum. *Tum* & hoc diligenter est considerandum, quod cum Lisola Gedani Tractatum, qui (ut supra est relatum) in Borussia institui debebat, interturbasset, & Mediatores causam tam subitò mutati consilii perquirerent, palam professi sint Poloni, cœptum scilicet esse Tractatum inter Sac. Cæs. Maiestatem & Sac. Regiam Maiestatem Poloniæ, de eventuali successione principis Austriaci in Regnum Poloniæ eamq; etiam posse ratihaberi à Republ. sed quandoquidem Sac. Cæs. Maiestas postulabat adhuc duas conditiones: *Primò*; ut Poloniæ cessato jure eligendi posthac Austriæ adscriberet perpetuum jus succedendi in coronam Poloniæ. *Secundò* ut Austria & Polonia unà cum Dania in decem annos mutuo fœdere contra Sueciam necterentur, anniterenturq; communibus viribus eliminare Sac. Regiam Maiestatem Sueciæ non modò Polonia & Borussia, sed etiam provinciis Germanicis; ideo divisis in hoc negocio suffragiis Senatorum, qui *Regi* Poloniæ tunc erant à latere, eundum esse Regi ad Czenstechoviensem aut alium Senatorium conventum, ut ibi certiores reddantur &

Austria de sua prætensione, & Polonia de desiderato auxilio. Negant quidem Austriaci, talia pacta sibi cum Rege Poloniæ intercessisse & id quidem non sine causa. Neque enim adhuc consultum foret apertè talia fateri tam ob Czaris Moschorum indignationem, quàm propter aliorum odia, imò totius Reipub. Poloniæ incerta suffragia. Ipse tamen Poloniæ Rex in quadam Resolutione d. 15. proximè præteriti Mensis Junii data Sac. Regiæ Majestatis Christianissimæ Legato, ait *se tam vigore antiquorum pactorum, quàm fœderis novissime cum Serenissima domo Austriaca initi, ita esse cum ea alisq; conjunctum, ut sine ejus scitu & consensu nec diem, nec locum, nec formam præscribere possit congressibus.* Et Poloni ut hactenus libero jure eligendi sibi Regem gavisi sunt: ita ex quo fama cassati eius juris etiam ad illos, qui in exilio vixerunt, emanavit, illico pactionem illam editis scriptis & nullitatis & iniquitatis summæ arguere cæperunt. Non potest ergo aliud ex supra allegatis rationibus elici, quàm Austriam suscipiendo hoc bellum & percutiendo tantum fœdus cum Polonia intentionem habere acquirendi sibi nō modò jus eventualis successionis post fata moderni Regis Poloniæ, sed hisce etiam primordiis jus perpetuæ successionis. Non est opus ut in *Tertio* huius libelli membro multis exponatur, quantæ sit & considerationis & consequentiæ exitiosæ hic Austriæ conatus. Seculorum labor est, quem nunc consummatum eunt: non alia intentione, quam ut sociatis tribus Regnis hæreditariis fundamentum ponant affectatæ jamdiu Dominationi in universam Europam. Noverunt omnes Poloniæ gentis potentiam & quā polleat militari laude & cumprimis equitatu. Quod si is sub imperio periti Ducis Austriaci jungatur equitatui peditatuiq; Germano, exercitusq; necessariis prospiciatur, nihil non audebit Austria, non modò contra omnes vicinos; sed etiā contra Imperium Romano-Germanicum & Statuum libertatem ac jura. Et quandoquidem Austria est tenax suarum prætensionū & ad plus ultra semper tendit; vicini verò principes nō poterunt permittere, ut tanta potentia coalescat: ideo tanti Austriæ conatus necessario videntur procuraturi *primùm* exitiosam & ultimam Poloniæ ruinam & *deinde* ex flammis Polonicis vicinæ Germaniæ incendium. Velint Sac Romani Imperii Electorum, Principum & Statuum Deputati apud se perpendere non modò exempla præteritorum temporum & quam citò vel inimicissimi convenerint ad destruendā surgentem & ambitiosam eiusmodi potentiam; sed etiam quantis & quàm bellicosis Germania circumdata sit gentibus: quarum aliæ nunc iniuriis & armis Austriæ sint lacessitæ; aliæ verò cum prioribus consilia sociare incipiant, omnes sine dubio ita animatæ, ut prius extrema tentare velint, quam pati, ut Austriæ nova hæc poten-

potentia Polonica accrescat. Neque est, quod pericula imminentia exaggerentur, cum præsentium & Imperio iam impendentium satissit. Quam frivolis prætextibus Daniæ Rex bellum susceperit contra Sueciam; arma verò sua impulsu magnorum suorum fœderatorum Austriacorum & indignissimo quodam ausu in Imperium converterit, & in eo Sac. Regiam Maiestatem Sueciæ ceu Imperii membrum nunc terra & aquis impugnet, notius est, quam ut eius circumstantias hic repetere opus sit, præsertim cum Sac. Regia Maiestas ea de causa ad Sac. Romani Imperii Electores, Principes & Status ipsa iamdiu scripserit. Ex Polonia & Bohemia scribunt Austriaci Ministri primariæ dignationis, Regem Poloniæ velle mittere Regi Daniæ suppetias, & earum causa Polonicum exercitum debere transire per Imperii ditiones. Scilicet Austriaca sunt talia consilia, Polonis suppeditata, ut quemadmodum Poloni antehac Marchiam & Pomeraniam; Dani verò Bremensem Ducatum impunè & sine aliqua Imperii reali indignatione infestarunt, ita nunc Poloni non vereantur pari facilitate Pomeraniam & reliquas Imperii inter Cimbriam & Poloniam sitas, aliasque vicinas Provincias populari & sic pacem Imperii rumpere & planè conculcare. Quare cum nuper defuncta Sac. Cæs. Maiestas & eius vestigiis insistens Regia Maiestas Hungariæ & Bohemiæ tantam molestiam, impedimentum & tandem apertam *hostilitatem quoad statum & securitatem tam per se, quam alios clam & palam, directe & indirecte, in Imperio & ferme ubique extra illud Sac. Regiæ Majestati & Regno Sueciæ* contra manifestissimas Instrumenti pacis dispositiones intulerint & adhuc inferri faciant, adeò quidem, ut jugulum Status & securitatis eius nunc petant, & quod hic maximè considerandum venit, Sacram Regiam Maiestatem & Regnum Sueciæ ditionibus suis in Germania acquisitis eiicere intendant: & Sacra Cæs. Maiestas nuper defuncta *de consilio & consensu Sac. Romani Imperii Electorum, Principum & Statuum à die conclusæ pacis Sueciam in plena justaque Ducatuum & ditionum in Imperio sitarum possessione constituerit, promittentes vigore pactorum Osnabrugensium sese ratione ditionum, bonorum, juriumque per dicta pacta concessorum securitatem illi præstituros & Sueciam in eorum possessione quieta contra quemcunque inviolabiliter conservaturos & manutenturos*; ideò & Sac. Reg. Mai. Sueciæ, quæ antea per alios suos Ministros S. Rom. Imperii Electores, Principes & Status sigillatim de supra dictis Austriæ attentatis informavit, nunc ex quo molimina omnia in apertum bellũ eruperunt, & nulla uni-

 versalis

versalia Imperii comitia hoc tempore haberi poterunt, Ordinariæ huic Imperii Deputationi eadem ob oculos ponere non sua modò, sed Imperii etiam quam maximè interesse existimavit. Quemadmodũ enim ex suprà allegatis & iis etiam, quæ nomine Sac. *R*egiæ Maiestatis Christianissimæ ejusdem Extraordinaria Legatio coram Sac. *R*omani Imperii ordinaria Deputatione nunc profert, videre est, quam *absolutam & illimitatam potestatem* nuper defuncta S. Cæs. Majestas sibi in Imperio arrogaverit, & in quem periculo sum statum exinde Sac. Romanum Imperium respectu vicinorum nunc conjectum sit: ita ex parte Sac. Reg. Majestatis Sueciæ non dubitatur, quin Sac. *R*omani Imperii Electores, Principes & Status, *eorumque vices nunc in Ordinario conventu sustinentes Ordinarii Deputati* accepta hac integra rerum omnium notitia & memores non modò *potestatis, auctoritatis & jurium, quæ ad conservandum Imperii æquilibrium Statibus per pacta Osnabrugensia sarta tecta reservantur*, sed fidei insuper, qua non minus Regibus & Regnis fœderatis, quam sibi invicem in observationem pactorum sanctissimè obstricti sunt, in præsenti Interregno & hac rerum conjunctura *ceu membra unius Reipublicæ & custodes communis libertatis*, concordibus votis & suffragiis concurrant & tantis malis *R*egnorumque Sueciæ & Galliæ gravaminibus adæquata remedia adhibeant. Inprimis verò nomine Sac. Regiæ Majestatis Sueciæ decenter à Sac. Romani Imperii Electoribus, Principibus & Statibus hoc ipso requiritur: *Primo* ut diligenter expensis supradictorum consiliorum Austriacorum & suscepti belli in Polonia consequentiis in Imperii præjudicium tandem redundantibus, *R*egiam Majestatem Hungariæ & Bohemiæ *ceu constatum suum authoritate Imperii & reapse* quantocyusque à motibus Polonicis & societate Regis Daniæ avertant efficiantque, ut damna Sac. *R*egiæ Majestati & *R*egno Sueciæ jam data resarciat. *Secundo* ut Sac. Regiæ Maiestati & Regno Sueciæ ceu pacis consorti & membro Imperii non modò contra Regem Daniæ adhuc Bremensi Ducatui armis suis inhærentem & Pomeraniæ maritima loca infestantem, commerciorumque securitatem in Imperii fluminibus Albi & Wisurgi turbantem; sed etiã contra quoscunq; alios, qui S. Reg. Mai. & Regni Sueciæ jura & ditiones in Imperio sitas armata manu & de facto impetere audebũt, debito & legibus Imperii convenienti modo quantocius & quidem ad recuperandam arcem *Bremerverdam* adsistere & plenam Guarantiam præstare velint; Et *tertio* ut rationes ineant, quibus S. Reg. Mai. & *R*egno Sueciæ posthac ratione Provinciarum & jurium suorum in Imperio caveatur de non amplius turbando. Plures jam sunt Menses, cum Sac. Reg. Maiestatis nomine præsens Imperii

ordina-

ordinaria Deputatio ratione adsistentiæ contra Daniam monetur. Quod si ut hactenus, ita posthac etiam *prævalentibus artibus & inveterata authoritate Austriacorum*, tam necessaria res censebitur supervacanea & indigna Statuum consilio, atque ita S. R. Mai. Sueciæ communis securitatis & auxilii, quod vigore Imperialium constitutionum membris Imperii in tali casu præstari debet, diutius relinquetur expers, Ipsa sibi de necessaria Sui conservatione quovis modo obtinenda prospicere adigitur. Francofurti ad Mœnum d. 22. Septemb. An. 1657.

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS SUECIÆ

Ablegatus Extraordinarius

Matthias Biörenklou.

Lit. A.

JOHANNES CASIMIRUS Dei gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, &c.

SPectabiles ac Famati Fideles nobis dilecti. Adversa Fidelitatum Vestrar. fortuna non mediocriter Nos afflixit, postquam intelleximus, quod hostis urbem hanc Nostram, præclarè servata aliis occasionibus fide, insignem inter suam numeret prædam. Credebamus potius, quod fractis ad ipsorum mœnia suis viribus, pro gloria tupitudinem & audaciæ suæ pœnam erat reportaturus, præsertim cum nihil Fidel. Vestr. ad sustinendam longiorem obsidionem defuerit. Sed quia Casum hunc sive necessitas, sive dolus extorsit, fato potius, quam voluntati Fidel. Vestrar. imputandum censemus. Mirum tamen, si Fid. Vestr. (prout relatum Nobis est) nudæ perfidi cujusdam traductoris insimulationi, nō viso, nec habito ullo documento, cesserunt, cum asserere auderet, Prussiam à Nobis hosti esse concessam. Procul omnino ab ista cogitatione distamus, & quamvis hoc prosperum scelus jam omnia spe devoraverit, adest Nobis causa justa & vindex Deus, qui invasorem alienorum

 iustio-

justioribus Terminis circumscribet. Non desunt & humana subsidia, jam etenim Regnum Nostrum feliciter ingressi sumus, *Cosaci* qui tot malis hactenus Nos implicaverant, præstito recenter fidelitatis suæ juramento, ad obsequium Nostrum, suadente, *Tartarorum Principe*, redierunt, qui centum millia sui exercitus in auxilium Nostrum libens adduxit. Stipendiarius miles hosti infensus catervatim ad Nos convolat. Præcipui Regni proceres lateri Nostro adsistunt, quos prompta sequitur Nobilitas. *A Seren. etiam Imperatore auxilia promissa expectamus, apud quem per Legatum Nostrum Magnificum Palatinum Lanciciensem Viennæ præsentem agimus.* Quod significandum Fidel. Vestr. simulq; easdem adhortādas esse duximus, ut memores juratæ Nobis fidei, quod subditos decet cogitare & exequi velint, quò & injuria nobis illata resarciri, & hujus urbis spectatum nomen ad posteritatem celebre esse possit. De cætero Fidel. Vestr. gratiam Nostram Regiam offerimus. Dat. Crosnæ 4. Januarii An. 1656. Reg. Nostr. Poloniæ 7. An.

JOHAN. CASIMIRUS REX.

Spectabilibus ac Famatis Burggrabio, Proconsuli, Consulibus totique Magistratui & cōmunitati civitatis Nostræ Thoruniensis Fidelibus nobis dilectis.

Lit. B.

FERDINANDUS III. *divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, &c. Serenissimo & Potentissimo Principi*, Dn. CAROLO GUSTAVO, *Suecorum, Gothorum Vandalorumque Regi, &c.*
Salutem cum omnis boni incremento.

SErenissime & Potentissime Princeps, Consanguinee & Frater charissime: Literas Seren. Vestr. duodecima mensis proximè præteriti Casimiriæ ad Cracoviam datas accepimus, & ex iisdē præterea, quæ de suis in dicto regno successibus Nobis benevolè communicat, perquam libenter intelleximus, nihil ipsi in illa vicinia prius antiquiusque fore, quam ut & amicitiam Nostram omni meliori ratione tueri, & iis rebus studere possit, quæ vicinitatis leges in- [illegible]ntur, prout etiam confidat, Nos semper paria re- [illegible]n. Vestr. integrum illibatumque ipsi conser-

conservaturos esse. Et admonuit sanè Nos hæc tam *amica contestatio* Ser. Vestr. non modò eorum, quæ Seren. Vestr. partim per literas, partim per Ministros suos jam antè in hac materia ad Nos perscripsit & perferri voluit, verum etiam responsi ad ea à Nobis vigesima quarta Augusti proximè elapsi dati, quo eam cùm *de mutuo sincere benevolentiæ affectu assecurabamus*, tùm id quoque inprimis significabamus, nihil Nos magis optare, neque Reipub. Christianæ quicquam magis expediens ac necessarium judicare, quam ut exortæ inter ipsam & Seren. Regem ac Regnum Poloniæ differentiæ quantocyùs amicabili compositione sopirentur: Quæ quidem literæ quin rectè ad eandem Seren. Vestr. pervenerint, neutiquam dubitamus; Jam quod ab illo tempore *eadem illa pacis restaurandæ cura apud Nos minimè diminuta, sed aucta potius intensaque fuerit, utpote qui concursum & strepitum tot tamque variorum armorum in vicinia non nisi graviter sentire possimus*, existimamus, Seren. Vestr. pro sua prudentia facilè judicare posse. Fuit quidem ea spes Nostra fore, ut Tractatus amicabiles communi consensu *Stockholmiam* ac postea *Stetinum* indicti ad effectum perducerentur, perque eos periculum, *S. R.* Imperio & finitimis eiusdem provinciis ex illo tot tamque variarum gentium, in Regno Poloniæ inter se digladiantium concursu imminens averteretur. Et dolemus sanè, *quod vel primus ille exardescentis belli impetus, vel aliæ fortè causæ tractationi illi locum tum non dederint*; Et habuit interim Serenitas Vestr. eos in illo Regno successus, de quibus per novissimas suas amicè Nobis significare voluit; At enim cum per eos, ut belli facies alterata sit, causas tamen eius mutatas aut animum Seren. Vestr. à pacis consiliis aversum esse, censendum non sit, cum id Seren. Vestr. contestatum semper amicæ compositionis studium non ferat, Nobisve persuaderi permittat; quippe quam (ut de aliis taceamus) non lateat, quanti totius Christiani orbis intersit, Regnum Poloniæ, quod hactenꝰ propugnaculi loco contra quosvis hostiles insultus stetit, post tot aliunde perpessa bellorum incommoda non enervari penitus & ad extremæ debilitatis terminos reduci: Omnino confidimus eandem Nostram reducendæ pacis sollicitudinem à Seren. Vestr. non aliter, quàm in optimam partem acceptum iri.

Et quandoquidem non dubitamus, quin *Seren. Rex* & Regnum Poloniæ ad eandem compositionem non minùs propendeant: *pro eo sanè munere, quod Nobis in Repub. Christiana inter Reges & Principes ejusdem suprema divinitas summum imposuit*, aliter non potuit, quàm ut tot tamque prægnantium rationum ad id Nos impellentium momentis manum daremus, adeoque operam Interpositions Nostræ ad reconciliandos animos inter se dissidentes utrique

utrique parti amicè offeremus: cumque eam in æquanimitate Seren. Vestræ repositam habeamus fiduciam fore, ut nec ipsa huic pacificæ & cum ad universæ Reipub. Christianæ, tum non minus Seren. Vestr. quam cuiusvis alterius partis bonum collimanti intentioni Nostræ sit adversatura, sed potius gratam acceptamque eandem habitura; quin etiam moderatæ pacis gloriam cuivis alii nō sine multorum innoxiorum sanguine parto, vel pariendo triumpho prælatura, ac vel maximè cum non dubitemus, quin & divina bonitas huic consilio Nostro benigne adspiratura sit, ut bello sanguinolento omniaque vastanti ad omnium peræquè satisfactionem ac securitatem finis imponatur. Idcirco Seren. Vestr. cum per literas hasce Nostras, tum per earundem exhibitorem expressum Ablegatum Nostrum, Generosum Fidelem Nobis dilectum Franciscum Eusebium Comitem à Poettingen Dn. in Oberfalckenstein & Groskirchheim, hæreditarium Burggravium Lincii, Nostrum Consiliarium, Camerarium & Germanum Vice-Cancellarium in Regno Bohemiæ, de hoc consilio Nostro significare voluimus, prout non minus per alium expressum Ablegatum Nostrum prædicto Seren. Regi Regnoque Poloniæ significandum curamus, expectaturi super hoc à Seren. Vestr. non modò desideratam, de qua non dubitamus, declarationem, verum etiam expressionem, quo loco & tempore id negocii pro commoditate tam sua & Seren. Regis Regnique Poloniæ, quam Nostra suscipi quam opportunissimè posse existimet, quò & Nos, & dictus Seren. Rex Poloniæ quæ ad id inchoandum promovendumque pertinent, maturè disponere & apparare possumus.

Cæterùm sicuti Nobis ea, quam Serenitas Vestr. Nobis tam per literas, quàm Consiliarium etiam suum hic ad aulam Nostram Residentem *de sincero Suo in Nos amicitiæ & benevolentiæ studio præstare voluit, contestatio admodum grata accidit*: Ita eandem de pari Nostro in se affectu securam esse volumus; quoad reliqua à dicto Residente Seren. Vestr. scripto proposita ad responsum Nostrum super his eidem datum Nos referentes; Seren. Vestr. Divinæ tutelæ ex animo commendamus. Datum in civitate Nostra Viennæ die 16. Novembris An. 1655. Regnorum Nostrorum Romani 19. Hungarici 30. Bohemici vero 28.

Eiusdem Serenitatis Vestr.

Bonus Consanguineus & Frater
FERDINANDUS.

Lit. C.

Lit. C.

FERDINANDUS III. *Divina favente Clementia &c. Seren. Principi Dn.* JOHANNI CASIMIRO *Regi Poloniæ &c.*

SEreniſſime Princeps &c. Reddidit Nobis literas Seren. Veſtr. 7. huius ex ſuperiori Glogovia datas, Ejusdem Reſidens Baro Johannes Baptiſta Viſconte, ſimulque tum viva voce, tum ſcripto fuſius retulit, quib9 cauſis *coacta Seren. Veſtr. tandem in ditiones Noſtras recipere ſe debuerit*, explicando etiam prout alias ſæpe, in quas difficultates ac anguſtias ipſa resque ſuæ ac inclyti Regni Poloniæ ex bello à Seren. Rege Sueciæ ſibi illato ſint redactæ. Quemadmodum igitur vices ſtatumque afflictum Seren. Veſtr. & florentiſſimi nuper Regni pro eo, quo cum erga omnes, tum vel maximè erga eum, *qui Nobis ob Regii faſtigii dignitatem frater, & ob ſanguinis conjunctionem conſobrinus & affinis ſit*, tum etiam *erga Regnum vicinum & amicum propendemus affectu*, non poſſumus non condolenter conſiderare: Ita pergratum Nobis fuit intellectu, quod Seren. Veſtr. *uti nunquam antea, ſic ne nunc quidem ab amicabili æquaque compoſitione abhorreat*. Non omiſimus quidem Nos ſæpe dictum Seren. Regem Sueciæ etiam poſt bellum motum, cum de ejus cauſis ad Nos fuſius perſcripſiſſet, ad pacem hortari. Ac *tametſi deinde ea ſubitò rerum in Regno Poloniæ ſucceſſerit mutatio, ut facile conjicere liceat, animum inde Regis non ad aſſumendum Tractatum compoſitionis, ſed bellum proſequendum propenſiorem eſſe factum*; Non idcirco tamen Nos curam pacis Noſtram remittendam, ſed *pro eo, quod Deus Opt. Max. ſummum Nobis inter Reges & Principes Chriſtianos impoſuit, munere intendendam potius & augendam*, adeoque ſæpe memorato Seren. Regi Sueciæ (quod certis de cauſis hactenus diſtuleramus) officium Interpoſitionis Noſtræ ad compoſitionem æquam inter Ipſum & Seren. Veſtr. conciliandam ultrò offerendum duximus, prout tàm per literas, quàm expreſſum etiam Ablegatum Noſtrum, Generoſum Fidelem Nobis dilectum Franciſcum Euſebium Comitem à Poettingen offerim9. Et cum pro illa, quam cùm in æquanimitate & moderatione Seren. Suæ, tum *conteſtato quoque ſæpius pacis ſtudio* repoſitam habemus, fiducia omnino ſperemus, Eam huic conſilio optimæque intentioni Noſtræ minimè repugnaturam eſſe, quippe qua nihil aliud quærimus, quam ut extincta feralis omniaque devorantis belli flamma, aqua & tam uni quam alteri parti non pœnitenda inſtituta pace ulterior Chriſtiani ſanguinis effuſio ſiſtatur, maioraque pericula, niſi aqua affundatur, non in regna

modò provinciasque, Nostrasq; hæreditarias, aliasque finitimas ditiones; sed in universum orbem Christianum eruptura vitentur: adeoque spem firmam foveamus, supremam Divinitatem, in cuius Nomine totum hoc negociũ suscipimus, id ita felicitaturam esse, ne exoptato careat exitu: tum etiam Nobis non possit, nec debeat esse dubium, quin Seren. Vestr, cum inclyto Regno Poloniæ pro eo, quod semper præ se tulit, studio hanc eandem pacis curam Nostram sit approbatura, officiumque prælibatæ oblationis Nostræ grato animo acceptatura; Benevole Eidem cùm per hasce Nostras, tum per expressum etiã Ablegatum Nostr. N. Comitem ad Rueffetein de eo significare voluimus, expectaturi simul per eundem responsum optatum Seren. Vestr. quò & Nos quæ ad id negocii inchoandum promovendumque pertinent, maturè disponere & apparare possimus. Qui de cætero Seren. Vestr. benevolentiam Nostram Cæsaream amice conservantes Eandem Divinæ tutelæ ex animo commendamus Viennæ 16. Novemb. An. 1655.

Lit. D.

Serenißime & Potentißime Imperator,

Dn. Frater & Consanguinee Charißime, &c.

PErcepimus ex iis, quæ Mai. Vestr. cùm per expressi sui Ablegati, Generosi Nobis sincerè dilecti Francisci Eusebii Comitis à Poettingen, Maiest. Vestr. Consiliarii, Camerarii & Germanici Vice-Cancellarii in Regno Bohemiæ, vivam vocem, tùm etiam in literis scriptis Viennæ die 16. Novemb. Anno proximè præterito, Nobis verò Pragæ ad Warsaviam die 5. & 15. April. nuper elapsi traditis amicè ad nos perlata voluit, placuisse Mai. Vestr. repræsentare Nobis non modò quod antehac de die 24. Aug. superioris anni erga Nos contestata sit, scilicet nihil magis optare, neque Reipub. Christianæ quicquam magis necessarium judicare, quàm ut exortæ inter Nos & Regem Johannem Casimirum differentiæ quantocyùs amicabili ratione sopiantur, sed etiam quod eadem illa pacis restaurandæ cura vel ideo apud Mai. Vestr. postea aucta sit, quod *concursum & strepitum tot tamq; variorum armorum in vicinia non nisi graviter sentire* possit; Sperasse propterea *Mai.* Vestr. fore, ut tractatus amicabilis communi consensu *Stockholmiam* & postea *Stetinum* indicti ad effectum

perdu-

erducerentur, perque eos periculum R. Imperio & finitimis ejusdem Pro-
inciis ex illo bello imminens averteretur; Nunc verò *dolore, quod vel primus*
cardescentis belli impet9, vel alia, vel forte causæ tractationi illi locum non dederint;
ensere tamen Maj. Vestr. quod licet *per successus Nostros belli facies alterata sit*,
nimum tamẽ Nostrum à pacis consiliis non esse aversum, cum & talia semper
ontestati simus, & nos non fugiat, quanti totius Christiani Orbis intersit, ne
egnum Poloniæ post tot aliunde perpessa incommoda jam ad extremos de-
litatis terminos reducatur & enervetur: Mai. itaque Vestr. eius intuitu atque
iam *pro eo munere, quod in Reipub. Christiana inter Reges & Principes ejusdem*
prema Divinitas Maj. Vestr. summum imposuit, aliter non potuisse, quin utriq;
rti operam suæ Interpositionis ad animos conciliandos amicè offerret; pro-
etiam super hoc negocio desiderat non modò Nostrum responsum, sed et-
n expressionem, quo loco & tempore existimaremus id negocii quam op-
rtunissimè posse suscipi.

Commune Nobis Antecessoribusque Nostris Regibus Sueciæ cum mul-
aliis Principibus & Rebuspub. votum, desiderium & studium fuit jam diu,
illa inter dictos Antecessores Nostros Sueciæ & Poloniæ Reges exorta &
à cum *S*ceptro *S*ueciæ in Nos derivata, posteaque inter Nos & *R*egem Jo-
nnem Casimirum variis modis exasperata dissidia quantocyùs amicabili ra-
ne terminarentur. Licet enim una injuriarum, quibus Rex Johannes Casi-
rus Nos lacessivit, Nobis vindictæ causam justissimam potuisset præbere,
dum addita plurium continuata series & nexus earum directus in *R*egiæ
ostr. Dignitatis derogationem, Regnique detrimentum; pacis tamen spe &
ore sivimus, ut Nostri Regniq; Nostri *S*enatores in tempore monerent Re-
gi Poloniæ Senatum de arripienda ansa maturrimæ compositionis.

Nihil verò minus respexerunt, quàm salutare & pene necessarium illud
nsilium: quippe quod tamdiu impedimentis involutum deprehendimus,
m præterita æstate ulciscendis talibus iniuriis exercitum Nostrum Poloniæ
minere, Nosqȝ altero velle insequi intelligerent. Nam Legatio Polonica ad
os in Sueciam superioris anni vere missa tum demum *S*tockholmiam venit,
m Noster Regnique Nostri *S*enator & Campi-Mareschallus Comes Wit-
nberg jam diu accepisset mandata aggrediendi Poloniam, & Nos in procin-
u essemus traiiciendi in Pomeraniam: adeò ut Nobis tum fuerit nec facul-
s revocandi dictum Mareschallum, neque tum consultum subsistendi do-
i, neque etiam rationi consentaneum suspendere semel decretum bel-
m, quando in prioribus induciis nulla fuisset securitas, & Polonia

binis antea tractatibus Lubecenſibus Sueciam eluſiſſet. Utriusque ergo parti conſenſu tractatio amicabilis Stetinum eſt indicta. Diſcedimus ergo nos in Pomeraniam & Legati Polonici in Boruſſiam. Noſtro etiam nomine bini Commiſſarii cum plena poteſtate & ſufficientibus mandatis agendi & concludendi Stetini relinquuntur. Verùm ex quo Nos in Poloniam movimus, primarius Commiſſariorum Polonicorum *Palatinus Lancicienſis Comes Leſſinius* ſcriptis ad Noſtrum Regnique Noſtri Cancellarium Comitem Oxenſtierna literis monuit, dictum Tractatum Stetino deſtinatum non poſſe ib commodè inſtitui Quinimo ipſe *R*ex Johannes Caſimirus ſuperiori æſtate pe tiit & in caſtris Noſtris ad Sobotha ſtatim obtinuit Salvum conductum pr ſuis Commiſſariis, ut tractationi in Polonia ſe accingerent. Venerunt iidem qui in Suecia fuere Noſtro Salvo Conducti muniti menſe Septembri Warſaviam, ſed re ipſa neglecta receſſere iterum, *alter* in Lithuaniam, *alter* verò Cracoviam ad Nos: unde poſtea in Sileſiam ad ſuum Regem conceſſit. Poſt menſes aliquot iterum pro Polonicis Commiſſariis petuntur literæ ſecuri commeatus: & dantur etiam à Nobis, verùm dicti Polonici Commiſſarii non comparuerunt, neq; à Rege Johanne Caſimiro ulla jam longo tempore audita eſt certa mentio aſſumẽdorum Tractatuum, *ita ut in alte memoratum Regem vix videatur poſſe quadrare, quod in Majeſtatis Veſtræ literis Viennæ die* 16. *Novembr. Ann proxime elapſi etiam in hac materia ad eundem Regem ſcriptis extat*, ſcilicet *quo quemadmodum Rex Iohannes Caſimirus nunquam antea, ita nec nunc quidem in choato hoc bello ab amicabili compoſitione abhorruerit*. Nam ut Commiſſariis Polonicis, qui Anno 1651. Lubecenſi congreſſui interfuerunt, per literas (quo Nobis ex certis rerum documentis nunc conſtat) die 11. Aug. ſupradicti ann ex caſtris ad Beresteško allatas injunctum erat, *ut penetratis Suecicorum Commiſſariorum animis & prætenſionibus congreſſum Lubecenſem dextrè diſſolveren* idque etiam eodem ac repetito ibidem tractatu non ſine Sueciæ & Mediatorum ludibrio ſunt executi; Ita Rex Johannes Caſimirus toto Noſtri Regimini tempore, etiam in mediis belli flammis pacem quidem in lingua promptam bellum verò in pectore meditatum habuit: ut de illo optimè (de Nobis ver neſcim9 quo fundamento coniiciatur) dici poſſit, *animum videlicet ejus non a aſſumendum tractatum compoſitionis, ſed bellum perſequendum & fuiſſe, & adhu eſſe propenſiorem*, atque ideo dolendum meritò eſſe, quod vel *primus exardeſce tis belli impetus, vel alia forte cauſa, inprimis verò imaginaria ejus in Noſtrum Regnum prætenſio, ut prioribus antè duobus Lubecenſibus Tractatibus, ita etiam nun illis toties à Nobis oblatis tranſigendi occaſionibus locum non dederint*. Commove

merit

meritò mentem Nostram, quod pertinacia pravorum consiliorum causam dederit *cum* aliis tam vicinis, quàm Poloniæ subditis, *tum* etiam Nobis infestandi Poloniam & eam enervandi. Regna & Status alii, atque adeò societates inter diversos Principes Populosque stant & firmantur *cumprimis cultu & observantia fidei & constantia dictorum factorumque. Quando* ergo Polonici sive Rex, sive proceres una cum Rege censuere tractatus pacis causa & communi tam partium, quam Mediatorum consensu decretos & bona fide à parte Sueciæ bis Lubecæ institutos *dextre* h. e. per fraudem *esse dissolvendos*; *Quando* fidem, & iuramenti pactorumq; conventorum religionem insuper habere, & eam pro ratione temporum & ob utilitatem propriam sine ullo sacrosanctarum trāsactionum respectu sursum deorsum versare; *Quando* nunc vicinos invicem ad diffidentiam, nunc vicinorum subditos ad defectionem cōcitare pro nihilo ducere: *Quando* moniti tam Rex, quàm Senatores de mediis tanto malo adhibendis omnia justa & æqua contemnere decrevere; simul quoque expendere debuerunt, malas artes & prava consilia autoribus & consultoribus ut plurimum esse exitiosa; quodque Polonia propterea sibi non verò aliis imputare debeat præsentem suam eamq; deplorandam faciem. Est tamen in ejus adhuc potestate, ut ex his malis emergere possit, modò bonis consiliis, tractationibus & ipsæ fidei locus debitè relinquatur. Quod verò *concursum & strepitum armorum in Maj. Vestræ vicinia concernit*, si Mai. Vestræ placet memoria repetere tempus, quo hæ Mai. Vestræ literæ ad nos scriptæ sunt, deprehendet, *Majorem & Minorem Poloniam* aliasque Provincias ut & integram militiam *Quartianam* partim spontanea deditione, partim armis, partim etiam pactis conventis Nostræ protectioni & Imperio jam tum se subiecisse. *Magnus quoque Moschoviæ Dux* paci tum religiose Nobiscum inhæsit: & *Zaporoviana gens* eodem tempore pro Nobis stetit; adeò *ut quiescentibus Nobis, illisque omnibus, non possimus percipere*, ubi & quis fuerit ille tot tamque variorum armorum concursus & strepitus, quem *Mai.* Vestr. in sua vicinia non nisi graviter sentire potuerit. Si *Rex* Johannes Casimirus & proceres, Nobilesque è Polonia profugi vel non invenissent sedes in Silesia, vel ab iis nihil incommodi Nostro Statui bellico in Poloniam illatum fuisset, iamdiu nullus armorum conflictus in Vestræ Mai. vicinia esset. Et illa etiam de causa potiti cum aliis provinciis, tum etiam utraque Polonia tam per literas de die 12. Octob. Anno proximè præterito Casimiriæ ad Cracoviā exaratas, quàm viva Ministri Nostri ad aulam *Mai.* Vestræ Residentis voce *Mai.* Vestræ amicè de prædicto rerum Nostrarum in Polonia statu significavimus & simul innuimus, Nos fretos non modò pactis Osnabrugensibus,

bus, sed recentibus etiam & mutuis officiorum plenis contestationibus in talium rerum constitutione velle & ipsi religiosè colere, & à *Maiestate* Vestra expectare fidam, sinceram & innoxiam vicinitatem. Nam spretis à *Rege* Johanne Casimiro aliis componendi viis, illa fuisset expeditissima ratio & sedandi armorum conflictum in Polonia, & avertendi à Romano Imperio finitimisque provinciis pericula. Et Nobis quoque est relatum, *Maiestatem* Vestram severè prohibuisse, ne ullæ è Silesia in Poloniam contra Nos à profugis Polonis fierent excursiones: inde tamen postea, quorundam fortè ministrorum conniventia, contra Nos prodierunt & vicissim in illa loca receptum habuerunt integra armatorum agmina: Atque tota pæne officina machinationum nuper contra Nos erumpentium apud *Regem* Casimirum & reliquos Polonos in Silesia degentes, originem habuit, ut non sit mirum, si nunc ad Silesiæ fines infesta arma concurrant & strepant. Quemadmodum verò Maiestas Vestra laudatissimo instituto Polonos intra sua territoria cohibere voluit & jussit, Nos etiam ut hoc fieret æquanimitatem Maiestatis Vestræ imploravimus; Ita nunc nulli dubitamus, quin Majestas Vestra intellecta ex hisce literis ulteriori & amica Nostra requisitione curet non modò, ut ejusmodi turbatores quietis posthac condignè reprimantur, sed Nostris etiam per Majestatis Vestræ provincias iter facientibus liber & innoxius pateat transitus. *Principe Christiano dignum & munere, quod in Romano Imperio & Majestatis Vestræ Regnis Deus Ter Opt. Max. eidem summum imposuit, conveniens est, quod ut antehac Rex Christianissimus & nonnullæ aliæ potestates summæ dissidiis Sueciam inter & Poloniam componendis insudarunt*, ita nunc quoque Majestas Vestra *præter peculiarem Imperii & Regnorum suorum curam, etiam ad vicinorum Principum Christianorum discordiam & cumprimis hoc bellum sedandum operam & studium ultro offerre volueris.* Si Maiestas Vestra pro summa sua prudentia & procul affectibus tempora priora & cumprimis negocia, quæ circa hanc Sueco-Polonicam controversiam sopiendam ventilata sunt, velit excutere, deprehendet non per Sueciam stetisse, quo minus pax dudum inter Sueciam & Poloniam sit facta, sed Reges Poloniæ Sigismundum & ejus filios vel propria animorum obstinatione, vel instigatione aliorum & quidem eorum, *quorum interfuit, dissidium hoc ali, & Sueciam eodem distineri*, in culpa esse, quod media pacis æquissimæ toties sint rejecta & causæ dissidiorum magis magisque cumulatæ, totusque novissimæ compositionis ap-

nis apparatus in ardentissimum hoc bellum conversus sit. Audet Suecia in sinceræ suæ intentionis & actionum probè institutarum testimonium provocare non modò ad mediatorum conscientiam, sed etiam ad Scriptores Polonicos Senatorii Ordinis, imò ad ipsa acta & Comitialia Congressuum Lubecensium à Polonis consignata. Itaque post infeliciter tentatos Lubecenses tractatus & binis illis vicibus inani opera fatigatos Mediatores, utrinque placuit institutio tractatuum sine arbitris, cui etiam proposito adhuc inhæremus, non quod diffidamus vel causæ Nostræ, vel compertæ Mediatorum æquanimitati, sed quod horum numerus fuerit antehac major, quàm hostiles animi in pacem per se propensi opus habere videantur, quodque exemplo tractatus Osnabrugensis didicerimus maximas & difficilimas controversias remotis arbitris, inter solas partes belligerantes, in pacem tamen utrinque pronas, posse componi. Quandoquidem ergò Majestas Vestra adeò sanctè contestatur, se & verbis & opere ipso velle promovere hujus dissidii & belli optatum exitum, & ipsa ex se facile judicare posset, quod si post utrinque approbatum tractatum sine Mediatoribus, iterum aliorum & quidem Majestatis Vestræ nova interpositio sit admittenda, priores Mediatores sint adsciscendi; quodque exinde suspicio possit oriri, quasi vel ex intervallo locorum, unde requirendi essent omnes mediatores, ambages & moras tractatui objiciamus, vel ex numero arbitrorum aucto augere velimus impedimenta & ipsius rei inter hostes expediendæ, & modorum inter tot mediatores procedendi: Ideo speramus fore, ut Majestas Vestra consideratis omnibus supra indigitatis circumstantiis hanc Nostram excusationem æquissimo animo ferat, idque eò magis, quod elusa à Rege Johannem Casimiro priorum Mediatorum solenni diligentique cura & postea utrinque approbato tractatu sine arbitris, difficilimum Nobis nunc sit vel pristinos Mediatores ad rem incertam accersere, vel illis præteritis novos acceptare.

Cæterum sicuti Nobis is, quem Majestas Vestra erga Nos tam per literas, quam Ablegatum suum Comitem à Poettingen contestata est amicitiæ, & benevolentiæ sincerum affectum, gratissimus accidit; ita Eandem nunc benevolè & amicè de reciproco & candido Nostro animo, in studium, cultum & observantiam pacis propenso certiorem reddere voluimus, commendantes ex animo Mai, Vestram divinæ protectioni in mul-

tos,

tes, eosque prosperos annos, Dabantur Strasburgi Borussorum die 24. Junii An. 1656.

Mai. Vestr.

Bonus Frater & Consanguineus

CAROLUS GUSTAVUS.

FINIS.



1. Pax pax polono-svecica Olivae d. 3 Maji 1660
2 Pax Germano-svecica Monasterii Westphalor. 24 paźd. 1648.
3 Pannonia perorata etc p Joh: Wolff 1652
4 De sacra corona regni Hungariae ortu etc Petri de Reva 1652



